

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Misericordia ac
cum fonte primo

Deus tristatur non de sua iniuria
sed de nostra perditione. Sicut rex
benignus audiens criminosaes personas,
lege quidem compellente ipse mortis
sentenciam dictat aduersus eas, tamen
misericordia instigante lacrimas
fundet super ipsas et uult eas adiuuare
et non potest contradicente sibi iusticia
quoniam misericordia
tunc est uera misericordia,
si sic facta sit ut iusticia
per eam condempnetur. Si autem
contempta iusticia misericordia
obseruetur, ipsa misericordia
non est misericordia sed fatuitas.

Iusticia enim sine misericordia
non est iusticia sed crudelitas,
sicut et misericordia sine iusticia
non est misericordia sed fatuitas.

Crisostomus super Mattheum.

Deus autem tristatur non de sua iniuria:
sed de nostra perditione. Sicut rex
benignus audiens criminosaes personas:
lege quidem compellente, ipse mortis
sentenciam dictat aduersus eos: tamen
misericordia instigante lacrymas
fundit super illos: et uult eos adiuuare,
et non potest: contradicente sibi iusticia:
quoniam misericordia
tunc uera est misericordia:
si sic facta fuerit, ut iusticia
per eam non contemnatur: si autem
contempta iusticia, misericordia
obseruetur, ipsa misericordia
non est misericordia, sed fatuitas.
Nam iusticia non est uera iusticia,
nisi habuerit in se et misericordiam:
sic et misericordia, non est uera
misericordia: nisi habuerit
in se iusticiam.
Iusticia itaque sine misericordia,
non est iusticia: sed crudelitas.
Sic et misericordia sine iusticia,
non est misericordia: sed fatuitas.

Pseudo-Chrysostomus, *Opus*
imperfectum in Matthaeum, 47 (1503
Venice ed., vol.2, fol.165v, ll.1-8). cf.
PG 56, col.894.